DE PIO,

SIMVL ET CATHOLICO

IVSTI LIPSI OBITV EPISTOLA.

Primum Auguſtæ Vindelicorum, & nunc denuò Florentiæ impreſſa

PER SANCTEM BACCIOLINIVM.

IN STVDIOSORVM GRATIAM; vt qui ægregiam tanti viri in ipſius ſcriptis admirantur doctrinam, eiuſdem eximiam in Morte poſsint venerari pietatem.

Admodum Illuſtri D. CVRTIO PICHENAE *Magni Ducis Etruriæ à Secretis Dicata.*



FLORENTIAE,
APVD IVNCTAS. MDCVI.
Cum licentia Superiorum.

SIMVL ET ...

IVSTI LIPSI ...

EPISTOLA.

Primum Auguſtæ Vindelicorum, & nunc
denuò Florentiæ impreſſa

PER SANCTEM BACCIOLINIVM.



FLORENTIAE,
APVD IVNCTAS. MDCVI.

Cum licentia Superiorum.

DE OBITV IVSTI LIPSI EPISTOLA.

DE extremo IVSTI LIPSI V. Cl. vitæ actu atq; exceſſu, in quo ſunt omnia, commemorare hæc libuit. Cum in febrim an. CIƆ IƆ CVI. circa Idus Martias incidiſſet, fatalem lectulum conſcenſurus, vultu alacri cygneam hanc vocem, *Ai lectum & letum*, mortem animo preſagiens, emiſit. Morbo ingraueſcente, *R. P. Leonardum Leſſium* Societ. IESV. Theologum eximium, cuius eruditi de Iure et iuſtitia exſtant Commentarij, ſibi perfamiliarem, aduocauit; atque in procurandis ritu Chriſtiano ſacris, et animo expiando, eluendoq; totus fuit. Cæterarum itaque rerum omnium curis abiectis, ſacroſanctum CHRISTI corpus XIIII. Cal. Apileis, qui dies in Dominicam Palmarum tunc incidit, piè ſuſcepit, & ſacro oleo, more Chriſtiano, die ſequenti inunctus eſt. Porrò ad extremum vſque ſpiritum firma atq; integrâ mente conſtitit, tanta animi conſtantiâ ac tranquillitate, vt nihil vxoris aut amicorum vndique adfluentium lacrymis ac ſuſpirijs commoueretur. Itaque nec vllam querimoniæ vocem, nec vllum repugnantis aut trepidantis animi ſignum edidit; vtque in vita, ſic et in obeunda morte conſtantiſsimus extitit. Et certè non ſcriptis modo, ſed et factis philoſophum ſe, eumq; Chriſtianum, mirificè comprobauit.

Silere hoc loco nec poſſum nec debeo, ex quo ſincerum atque eximium illius in *Diuam Virginem* adfectum cultumq; licet agnoſcere. Cum in agone morti iam proximus, verſaretur, vxori mandauit, vt reddito iam ſpiritu, togam optimam pellibus ſuffultam, *B. Virgini*, ad eius aram Louanij in baſilica B. Petri Apoſtolorum principis, cultu, miraculiſq; celebrem, offerret ac poneret. Quam et ipſi oblatam ſpectauimus.

Summa itaque cum teſtificatione pietatis Chriſtianæ, x. Cal. Aprileis, poſt noctis medium, anno ætatis nono et quinquageſimo, placidè ac leniter expirauit. Morienti, præter domeſticos, adfuêre tres è ſocietate IESV patres, et vnus è ſodalibus inſtituti B. Franciſci; Itemq; V. R. et Cl. *Nicolaus Oudardus*, Canonicus et officialis Machlinienſis, et V. N. *Ioannes Bap. Perezius Baronius*, eius olim auditor, ac contubernalis. Mediocri pompa, vt, quâ erat modeſtia, iuſſerat, elatus eſt, pridie paſchatis, VIII. Cal. Aprileis, hora poſt meridiem quartâ, humeris vniuerſæ, vt ita dicam, Academiæ, certantibus nimirum inter ſe ſtudioſis, vt extremum iſtud præceptori meritiſſimo pietatis officium impenderent, memores illius, vt arbitror, vocis Q. Cæcilij Metelli, cognomento Macedonici; *Non fore vt in poſterum id officium ab ipſis viro maiori præſtari poſſet.* Præter Academicos ac ciues, et exteri non pauci funus deduxêre; in his V. R. *Aubertus Miræus* Canonicus Antuerpienſis, V. N. *Ioannes Bap. Baronius* et *Ioannes VVouerius*, vir ornatiſſimus, eius olim Louanij auditores, qui officij gratia Antuerpia aduolârant. Conditus iacet, vt teſtamento mandârat, in æde ſacra Franciſcanorum ſodalium, ante Virginis Deiparæ aram, ad quam preces quotidie fundere ſolitus erat: voluit nimirum & à funere, ſui in Virginem cultus ſempiternum apud poſteros extare monumentum. Inſcriptionum vero philoſophicam tumulo appendendam, paucis ipſe verbis ipſis eſt complexus. Iuſta illi perſoluta ſunt [illegible] Cal. Aprileis. Pompam funebrem præter incolas Louanienſes, ad S. Petri Baſilicam, quæ vrbis primaria eſt, deducentibus R. & Cl. V. *Petro Paſtino*, Decano Bruxellenſi, R. V. *Nicol. Oudarto*, Cl. V. *Ioanne VVouerio*, vtroque teſtamenti curatore, aliiſq; exteris.

Bibliothecam & ſcripta ſua atque ingenij monumenta ſororis nepoti, annos ferè tredecim nato, legauit, & apud VVouerium, dum adoleſcat heres, deponi iuſſit. Græcos ac MSS. codices, Louanienſi Societatis IESV collegio attribuit. Cauit autem teſtamenti tabulis, ſcriptorum ſuorum quidquam imperfectum à morte euulgari. Flores atque arbuſculas ſuas, quibus mirificè ſolebat adfici, R. P.

Thomæ Vviringo Soc. IESV Sacerdoti, & N. *Blyleuio* vigiliarum vrbis Louanienſis præfecto, amico ac vicino ſuo, iſtarum rerum curioſis; numiſmata verò R. V. *Dionyſio Villerio* Canonico Tornacenſi, antiquitatis in paucis amanti, & perito, reliquit.

Hæc de obitu breuiter. De vita ſcriptiſq; ſuis, ipſe centuriâ VIII. Epiſtolâ LXXXVII. ad Ioannem Vvouerium copioſè diſſeruit.

NEMO ME LACRVMEIS DECORET, NEC FVNERA FLETV,
FACSIT. QVVR'. VOLITO VIVO' PER ORA VIRVM.

MEMORIAE IOVSTI LIPSI.

INGENIO QVOI NVLLA MALVM SENTENTIA SVASIT.
VT FACERET FACINVS, LEVIS AVT MALV',
DOCTV', FIDELIS,
SVAVIS HOMO, FACVNDV', SVO CONTENTV', BEATVS;
NON PONEBAT ENIM RVMORES ANTE SALVTEM;
SCEITV', SECVNDA LOQVENS IN TEMPORE, COMMODV', VERBVM,
PAVCVM, MOLTA TENENS ANTEIQVA, SEPOLTA, VETVSTA,
QVAI FACIVNT MORES VETERESQVE NOVOSQVE TENENTEM,
MOLTARVM VETERVM LEGVM, DIVOMQVE HOMINVMQVE,
PRVDENTEM QVEI MOLTA LOQVEIVE TACEREVE POSSET.
ERGO MAGISQVE MAGISQVE VIREI NVNC GLORIA CLARET,
OMNIBVS ENDO LOCIS INGENS APPARET IMAGO.